





De
 Scholarum,
 Saxonicarum præsertim
H Y E M E

aliqvot vicibus differet,

qvi

Verna

Annææ Scholæ

solennia,

discessumque ab illa discipuli

rite jam indicit

M. Christianus Augustus Freyberg,
 Rector.



D R E S D Æ,

IOH. CONR. STÖSSELIUS, Typ. Aul. impresit.



Nivofam, acrem, asperam & longam hyemem per-
 pesfi fumus, quæ magnæ hominibus fuit moleftiæ,
 pernicipi multis, oneri ipsis domibus, maximæ
 variis animalium generibus calamitati, & licet
 omnes alias acerbitate frigoris haud antecederet,
 rigoris tamen diurnitate & nivis mole horrendaque con-
 gerie complures superavit. Juvat ejus meminisse nunc ju-
 cundiffima & formosiffima hac anni parte, quæ ætatis ma-
 gis, quam brumæ potentiam extimescimus, & post hyemem
de Scholarum, Saxonicarum præsertim, hyeme parumper com-
 mentari. Donec humanarum rerum finem faciet Deus, au-
 tumno hyems, ver hyemi, veri æstas, ætati autumnus suc-
 cedit, & in quadruplici hoc anni regimine veterem novus
 dominator sensim de provincia depellet, ut singulis annis
 post florem, incrementum, maturitatem, deforme tempo-
 ris senium, ubivis autem curam DEI & sapientiam cogno-
 scamus ac miremur. Vernat quotannis terra, generat, ma-
 turat, parit, exuberat, senescit denique & canescit, frigus
 quotannis, tepor, calor, æstus redeunt, & stas temporum
 vices ostendunt, licet quandoque mediâ ætate algeamus,
 hyeme ipsa sudemus, (1) ver licet interdum glaciem ac nives
 procreet, herbas floremque hyems *ἡ ἀναμάλωστος* producat.
Mundi compendium homo est, infantia ejus & pueritia veris
 cursum conficiunt, cum adolescentia & juventute ipsa vitæ
 æstas labitur, virile robur & matura gravitas autumnum si-
 stit, & hyemali tandem frigore senectus obtorpescit, etsi hæc
 etiam nonnunquam crudam & viridem, (*Virgil. Æneid. VI.*
304.) ver contra ætatis *ἀναβέτις*, homines ante pilos sapien-
 tes, ante canos marcentes deprehendamus. *Res neque pu-*
blica

(1) de Frigore æstatis & calore hyemis in Zona temperata septentrionali disput. a.
 1711, Lipsiæ, M. Christianus Altmann, Lufatus.

blica vere suo, æstate, vindemia, hyeme sua destituitur, nec *sanctæ Religioni* solstitia sua & hyemes, tempestates & Alcedonia defunt. *Ipsa Probitas* & calet, & tepet, & alget.

Schola præterea, (quoniam ad illas mea nunc progreditur oratio,) uti vere suo gaudent, apricatione quasi maturescunt; succo ad ultimum suo & sangvine quandoque luxuriant, sic hyemem etiam suam, frigus, tenebras, tempestates & incommoda innumerabilia sæpe patiuntur, oriuntur & nascuntur, crescunt, decrescunt, premuntur, respirant, coarctantur, inereunt, ut illud *Ecclesiastæ* de instabili rerum creaturarum omnium natura effatum in Scholas quoque quadrat: *Generatio una abit, & altera advenit.* c. I, 4.

Academias Scholarum principes exempli gratia primum proferemus, & *ultimæ antiquitati* prærogativam concedemus. *Judeorum Scholis*, in quibus *σεγεία τῶν ἑσθῶν* apponebatur, quæstionesque & sententiæ Doctorum curatius & acutius dijudicabantur, ut a Synagogis igitur totæ verustissimis temporibus diversæ, similesque potius Academiis merito habeantur, præcipuus olim & plurimus honos tributus est, major quam Synagogæ, *ὄμιλος πρῶτος*, sanctitas. Magnus earum fuit numerus, pulchra in collibus (2) extructarum facies, maxima ex frequentia Sapientum commendatio. v. *Thomæ Goodwini* MOS, & AAR. *exempl. Hottinger.* pag. 372. 377. 378. *Reitz.* p. 174. sqq. *Abelæorum* sapientissima civitas tali in primis *Academia* Davidis ætate inclaruisse dicitur, quam qui consulerent, suæ salutis id fecisse causa existimabantur. 2. Sam XX, 18. 19. At *quanta hyems* omnes oppressit! Samaritanismus & novæ deinde factiones ac sectæ *frigus*, bella & carceres *tenebras* induxerunt, *Romani* exortio Rempublicam, leges, templum, Scholas dederunt. *Comorabimur* in terræ Judaicæ vicinia, *Ægypto*, præclarissimæ.

A 2

que

(2) Mentionem facit collis Moræh, h. e. Doctoris, Judic, c. VII, 1. Goodvv. & Reitz. p. 178. sqq.

que Urbis *Alexandria*, adpellationem trahentis ex nomine auctoris, magni illius Philippi Macedonis Filii, (*Curt. L. IV. c. 8.*) reminiscemur. Hæc amplissimum mercatorum quondam fuit receptaculum, sed regium etiam sapientiæ & artium domicilium, *Museo suo* celebratissimum, quod si *Prolemæo Philadelpho* non originem, florem certe, famam, incrementum, vastamque Bibliothecam debebat. *Academiam* dixeris totius terrarum orbis, non *Orientis* solum aut *Austrinæ* partis, per tot secula splendidissimam, nec ipsis *Græcorum* Philolophis, immodicis alias fimi sui amatoribus fastiditam, sed assidue ab his, quod ex multorum peregrinationibus innotuit, *ἡ αὐτῆς ἀνθηρῶν*, frequentatam. Verum illa quoque suos passa est manes. *Alexandrino*, quod *Cæsar* gessit, bello quadringenta millia librorum arserunt, elegantia regum curæque egregium opus, ut ait *Livius*, regis luxuriæ & ostentationis monumentum, ut *Seneca* iudicat, *ad Seren. L. de Tranquill. animi, c. IX.* Imperante *Aureliano* *Museum* duræ sorti suæ succubuit, quæ *IV. Sec.* adhuc restabat Scholæ hand incelebris laus, *V. ad finem* vergente tota expiravit. *Alexandrinorum* codicum, *Alexandrinæ* sapientiæ reliquias, sævitia & invidia delevit, barbaries obumbravit. Ecce post longum Ver, longam serenitatem, longiorem & perpetuam hyemem! v. *Rechenberg. & Keilhackeri Sched. Histor. de Museo Alexandrino.* Ut *Græci* quondam *Ægyptum*, sic nos *Ægypto* relicta *Græciam* petimus & *Athenas* demigramus. Fœcundissima hæc artium bonarum mater *Academiam* suam habuit, *Lyceum* & *ἡ δὲ βιβλιοθήκη*, tres præcipuas sapientiæ & virtutum officinas, tot tyrones & discipulos, quot fere *Græcia* liberos, tot advenas doctrinarum studiosos, quot sanioris mentis homines, tot civitatis lumina, quot fere cælum stellas, in quibus si *Platonem* tantummodo & *Aristotelem* nominaverim, superiorum quoque temporum nostræque ætati confinium *Deos, Apollines & Oracula* com-

commemorarem. O felices diu, ter & amplius *Athenas!*
 O vero jam pridem etiam infelices! Qui *Mithridatico bello* totam misere deformavit urbem, multis etiam antea castibus defunctam, nec scholis pepercit *Sylla*, renatas post excidium *Syllæ*que mortem, & quodammodo, etiamsi non in antiquum honoris locum, sub tutela Romanæ mansuetudinis restitutas, ab *Hadriano*, *Antoninis* & *Valeriano* magnopere exornatas, crescentesque ad altius denuo fastigium *Athenas*, & cum Urbe *Musarum* sedem, regnante *Gallieno Gothi* depulati sunt, *Turci* A. 1455. divina omnia & humana subruerunt. v *Lamberti Bos Antiqu. gr. præcipue Attic.* p 88. 89. 148. In *Italian* transeamus, & *Scholarum* rudera hic quoque investigemus. *Pythagoram* *Ægyptiorum*, *Babyloniorum*, *Cretenfium*, *Lacedæmoniorum* sapientia & scientia instructum *Crotonam* venisse, populumque in luxuriam lapsum auctoritate sua ad usum frugalitatis revocasse scriptum reliquit *Justinus*, L. XX c. 4. Morum itaque Magister apud utrumque sexum factus est Philosophus. universæ civitatis censor; sed præter illos auditores *βεβήλους, θυραίους, ἀπείρους ἀποφύλους, ὀβείους*, (3) mysteria etiam separatim sua in peculiari *Schola genuinis discipulis*, quos *ἐταίρους* appellatos fuisse legimus, aperuit, magnumque hujus generis numerum in alias *Italiæ*, aut mundi potius regiones dimisit. Illa præsertim *Italiæ* pars, quam *τὴν μεγάλην Ἐλλάδα* vocabant, *Pythagoræ* scatebat, ut *Ægyptus* aliquando ranis, una urbs *Crotona* trecentos ejusmodi, *Justino* teste, juvenes aluit: Quanta autem, cum mira felicitate studia hæc in Monarchiam quandam progredierentur, impendebat tempestas, quam *ἑσάου ἐπὶ τῶν Πυθαγορείων* sua ætate vulgo dictam fuisse narrat *Porphyrius*, quamque ut communem pauci civitare potuerunt? *Crotonæ*, *Metaponti* & *ubivis* brevi tempore omnia ipsorum collegia & domicilia vel incendebantur, vel aliis sævitæ instrumentis

A 3

(3) Diese kan man des Pythagora Extraneer nennen.

tis evertentur, discipulis aut igne ferroque intererentis, aut in exilium eiectionis, nec ipso magistro *Pythagora* cladis experte, quippe quem seditione illa civium orta una perire passim referri audimus, æque tamen innocentem ac suos, quos injusta suspicio de clandestina contra Rempublicam conjuratione populi in furorem acti invidia, odio, tyrannidi, *Justino* quoque iterum consentiente, subiecisset. Sic *Pythagoræorum* periit *Schola tota Sophorum*, & quæ ad tranquilliora servabantur tempora reliquæ in justum Scholæ corpus coalescere deinde nunquam potuerunt. v. *Io. Scheff. de Nat. & Constit. Philos. Ital.* p. 170. sqq. En cruentam & insolitam, calidam scilicet hyemem!

Verum in *Germaniam* festinandum est, & in communi patria diutius subsistendum. Plurimas & varias nostris quoque Academiis, Gymnasiis, Lyceis, Scholis illatas calamitates deprehendimus, hyemalique illas frigore quandoque solutas obriguissè, procellis concussas nutasse, tenebris involutas sole & luce caruissè, glacie lubrica & fragili fefellissè ac subduxissè vestigia, & quæcunque alia mala publica & privata inveniri possunt, pertulissè, merito lugemus. Nostra enim eo justior erit querimonia, quo propius nos domestica attingunt, & quo altius nobis vulnus infligunt, quæ patria parens & pura religio passa est ac patitur, quam quas *Judea* sui negligens, demens *Agyptus*, supersticiosa *Græcia*, fumos vendens *Schola Pythagorica* clades quondam sensit. *Threnorum* vero scriptoribus si quis nos annumeraverit, civem, ut *Cicero*, (*epist. ad famil.* L. II. 4.) me hercule non putabo esse, qui temporibus his ridere possit. Pristini igitur primum reminiscamur temporis acerbitatem. Illis seculis, quum male adhuc habeamur ab atrocibus Germaniæ accolis & incolis, aut vagis barbarorum examinibus, quorum nomina toties publicata denuo recitare me piget, quis, quæso, Scholarum, in his præsertim terris *limiti Slavico & Bohemico* adjacentibus fuit status? Idem, qui agri sub nive latentis & rigentis, ver novum expectantis. Si modo Scholas fuisse credibile est apud gentes armis solum assvetas, undique collectas, moribus discordes, & vix barbaris, quibus oppositi erant,

miti-

mitiores. Seqventi tempore, qvum majores nostri debellato aliquoties hoste, propugnaculisqve pluribus extructis securiores esse poterant, minusqve negotii habebant, et ipsi quoqve rigidos paululum mores mutabant, *monasteria* plerumqve *pro Scholis* erant, quibus includebantur, quos ad sacra olim procuranda destinatos mature assuefacere mysteriis illis vellent. Reliquis hand dubie adolescentulis majori laudi ducebatur, dare se duritiae & fortiter venari, quam nonnihil temporis tribuere literis, artibus & Philosophiæ. Et ignoti *qua cupido* esse poterat? Fines regnorum tunc tueri magis & proferre, quam sapientiæ thesauros, doctrinarum aurum appetere mos erat, intra suam cuiqve linguam scientia finiebatur. Tenuis & impuræ Latii reliquæ in monasteriorum angulos rejectæ situm redolebant. Hyemis hic jam esto finis!

Ver hyemem sequitur, nostra vernat Schola, & florem juvenum cras in aræ ostendet, totqve *Germanicorum Poëtarum* (4) surculos, quot Græcia olim numeravit Musas.

Joannes Christophorus Kotte, Mega-Okryll-Misn.

Pietatem in præsentia pene a patria sua, scholis, exulantem nostris commendabit, qua virente reliquæ etiam caput suum tollent virtutes, vitia marcescent.

Christianus Grahl, Malterens. Misn.

deforme monstrum, vesanum illud *mentiendi studium*, veris coloribus depinget, suisqve sic sodalibus invisum reddere conabitur.

Andreas Köhler, Stolpens.

secessum placere Musis, *solitudinem* gratam esse & amicam, venuste demonstrabit, cumqve ad irritandas illiciendasqve immodicas voluptates Urbis hæc aliis instructior esse videatur, condiscipulis suis cum sapientissimo Regum acclamabit: *Si pellicere volent vos peccatores, ne acquiescite.* (Prov. I. 10.) Ipse sedationis vitæ castorumqve morum exemplar, auræ honestatis, amantis-

(4) Decimus, qui cathedram adscendere debebat *castitatis Eneomias* futurus, *Ioannes Gabriel Hegeßald, Dresdensis*, Annæ nostræ per XV. annos alumnus, *Chori* per biennium & V. menses *Præfetus*, latinæqve & græcæ linguæ probe gnarus, postquam turpissimis imbutus cupiditatibus, a quibus deduci nequiret, æs alienum contraxerat, quod dissolvere nec volebar, nec poterat, superioribus diebus excessit, evasit, erupit, foedamqve sui memoriam reliquit. Nos *pravi & perversi hominis*, quem desperatio fecit forsitan aut faciet militem, meminisse hic volumus, ut alii diligentius famæ servire discant, a scelerato incepto deterreantur.



tissimus, purumque & intemeratum ad venerandum *Theologiae* sacrarium animum digne allaturus. Quem subsecutus

Joannes Augustus Zimler, Dippoldisw.

diligentia & constantia laudes canet, vehementerque in ignavos & in labore remissos nimis, parumque patientes invehetur.

Christianus Schmidt, Tharant.

felices deinde prædicabit *discipulos sua sorte contentos*, quales illi etiam se præbere jam omnino possint, *Pædanismo* præsertim ex plerisque scholis relegato, & saniore juvenilem ætatem artibus ad humanitatem informandi methodo inventa. Post hunc

Christianus Godofredus Johne, Borlass-Misn.

& sermone & exemplo docebit, *nostros nihil facere debere, quod fide sua sit indignum*: & multos tamen insuper producet, qui desciscentes à veritate perfidiæ crimen subiverint, grandem sibi maculam inusserint, scientiæ alias multiplicis laude haud fraudandi. Quem bonæ frugi adolescentem annis abhinc XI. civibus *pia Anna* adscriptum, in templo famulum, Chori ad ultimum præfectum, nos quum hodie etiam supremum VALE Scholæ dicentem audimus, *Lipsiam* mox abituro, sanctisque ibi legibus operam daturus, fausta omnia & prospera *grato, honesto & optimo juveni* precamur. Eundem bonis votis comitabitur

Joannes Godofredus Schröter, Dresd.

de eo, quod *decorum & absurdum est* fuscè antea præfatus. *Prologi* munere fungetur

Joannes Samuel Gottleuber, Pirnens.

& agmen denique claudet

Georgius Gottlieb Haubold, Dresd.

Musica utile dulci miscabit. Cui Actui Scholastico PATRONI, FAUTOR-RES & AMICI nostri cras hora VIII. matutina audita benevolentur adesse velint, reverenter & decenter oro. Scrib. XVI. d. MAII. Ann.

MDCC XXVI.




Pon IIo 615
vol 18

ULB Halle
002 693 135

3







De
Scholarum,
Saxonicarum præsertim
H Y E M E

aliquot vicibus differet,
qvi

Verna
Annææ Scholæ

solennia,
discessumque ab illa discipuli
rite jam indicit

M. Christianus Augustus Freyberg,
Rector.

D R E S D Æ,
IOH. CONR. STÖSSELIUS, Typ. Aul. impressit.

